INDEX LECTIONUM

AUSPICIIS

AUGUSTISSIMI AC POTENTISSIMI REGIS

GUILELMI

IN

ACADEMIA

THEOLOGICA ET PHILOSOPHICA MONASTERIENSI

PER MENSES AESTIVOS A. MDCCCLXIX.

INDE A DIE XII. MENSIS APRILIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

C. Langen.

De usu praepositionum [illegible] I

MONASTERII GUESTPHALORUM

EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA ASCHENDORFFIANA.

Auctoritate

RECTORIS ET SENATUS

Civibus S. D.

PETRUS LANGEN,

Litter. [redacted]

Quam nuper inchoavi de usu praepositionum Tertullianeo commentationem, eius absolvendae occasio quo celerius mihi ex insperato oblata est, eo magis doleo, quod solito pluribus occupationibus nunc quidem quam maxime districtus, reliqua opportuniore tempore tractaturus particulam tantum aliquam edere cogor, spectantem eam ad de praepositionis usum. Atque ad hanc potissimum ex ceteris quae restant tractandae eligendam certa ratione adductus sum hac, quod multarum praepositionum peculiarem Tertulliani usum cum paucis verbis absolvere possimus, haec tantopere in deliciis fuit, ut ita dicam, cum omnibus latinitatis Afrae scriptoribus tum Tertulliano, ut paullo longiore disputatione opus sit ad omnem a solito scriptorum latinorum usu discrepantiam exhauriendam.

De praepositio significat, si locum spectamus, aliquem vel aliquid ab loco ubi fuerit amoveri, hocque discrimen intercedere mihi videtur

inter a, de, ex, ut a simplicem veniendi vel movendi ab aliquo loco notionem habeat, ex amoveri aliquid ex interiore parte indicet, de movendi ex superiore in inferiorem locum habeat significationem, aut spectet id potissimum, quod res amota non eodem loco, quo antea fuerit, maneat: von weg, von fort. Nam Heidtmanno non assentior, qui in diurn. litt. antiqu. 1846 p. 865 de praepositionem priorem illam habere significationem negavit mirisque argutiis exempli causa descendendi verbum aliter atque plerumque fit, explicare conatur.

Eius verba haec sunt: „Wir sind jetzt bei der Klasse von Verbis angekommen, welche unserer Ansicht über die Grundbedeutung der Präposition de am meisten zu widerstreben scheinen; nämlich bei denjenigen Compositis, deren Simplex eine Bewegung ausdrückt, z. B. decidere, deferre, defluere, delabi, demergere, dependere, descendere. Dass descendere ein deutlicher Beweis sei für die Grundbedeutung des de von oben herab, davon ist auch Reisig (Lat. Sprachw. §. 405) überzeugt; allein ohne zu bezweifeln, dass für descendere die Uebersetzung herabsteigen sehr passend ist, können wir doch die hieraus gezogene Folgerung über de nicht einräumen. Scandere, steigen, bedeutet eine Bewegung, die eine doppelte Richtung haben kann, entweder von oben nach unten, oder von unten nach oben. Die Präposition hat auch hier keine andere Bedeutung als die schon oft angegebene, sie bezeichnet ein Trennen von Etwas, bei dem man etwas Wesentliches oder ein Losmachen von einem Orte, an dem man ein Berechtigter ist. Zu denjenigen Orten und Verhältnissen, in welchen Jemand am meisten ein Wesentlicher, Berechtigter und nicht Zufälliger und Aeusserlicher ist, gehört jedenfalls seine eigene Behausung, seine Familie, seine Habe, das Grundstück, welches er besitzt. Denken wir uns die Siebenhügelstadt und fragen wir: Wenn

Jemand aus seiner Behausung wegstieg, wohin wird er gestiegen sein, nach oben oder nach unten? so können wir nur das Steigen nach unten als das passender Weise gemeinte verstehen. Da aber ein solches von Hause steigen täglich vorkam und nach der Natur der Verhältnisse immer ein von oben nach unten steigen war, so musste man sich allmählich daran gewöhnen, dem descendere schlechtweg den Begriff des Herabsteigens beizulegen, um so mehr, weil man für dieselbe Handlung nicht unter vielen Ausdrücken zu wählen hatte." Quod fortasse probare posset, si hanc exeundi significationem primam propriamque fuisse constaret aut si sola domo descendendi significatione hoc verbo scriptores Romani essent usi. Cum vero innumerabilibus fere locis reperiatur adhibitum ad notionem movendi ex superiore in inferiorem locum indicandam vel ita transferatur, ut ea scriptori ante oculos versata esse videatur, cum nullo loco, quantum equidem scio, solam exeundi significationem habeat, Heidtmanni sententiam non possum non improbare. Quare, ut hoc quasi praeteriens commemorem, non recte fecit Bonnellus, quod in lexico Quintilianco locum qui est in libri 10 cap. 1, 126: „amabant (adulescentes) autem eum (Senecam) magis, quam imitabantur: tantumque ab eo defluebant, quantum ille ab antiquis descenderat" de diversitate sola scriptorum interpretatus est; immo ex eis, quae Quintilianus supra disputavit, inferiorem esse virtute antiquorum Senecam his verbis affirmari apparet. Neque omni ex parte probanda videntur, quae Hand in Tursellino disseruit de hac praepositione. Cui viro doctissimo concedere non dubito, posse etiam a interdum significare hinab, sed id dico, de praepositione ita tantum usos esse meliores scriptores latinos ad movendi notionem indicandam ut respondeat nostris vocibus aut herab, hinab, aut von weg, von fort. Quid autem mirum, quod interdum a praepositione usi sunt scriptores, ubi

si vellent, etiam de scribere potuissent, cum illa praepositio magis generalem habeat significationem? Unde vero sit prima propriaque vis de praepositionis repetenda, de ea re hoc loco non sum disputaturus, usum tantum scriptorum spectans; Tertullianum sane Heidtmanno et Handio optimum opinionum prolatarum auctorem futurum fuisse exemplis nonnullis infra allatis apparebit.

Primum saepissime de utitur ubi a vel ex praepositiones expectes: scorp. 6: „evulsum enim hominem de diaboli gula"; scorp. 8 (516): „est enim deus noster quem colimus, potens eruere nos de fornace ignis et ex manibus tuis"; scorp. 12 (529): „nunc (promittit) albam vestiri nec deleri de libro vitae"; de cult. fem. I, 1: „haec Eva concupiit de paradiso expulsa"; de patient. 4: „Et tamen nos non de hominibus modo — verum etiam de pecudibus, etiam de bestiis obedientiam exprimimus"; de corona 14 (454): „centenariis quoque rosis de horto Midae lectis"; de ieiun. 7: „etiam civitas illa peccatrix Ninive de exitio praedicato liberatur"; de spect. 10: „ita cum de originibus ludorum ad circenses transiimus". Inde factum, ut Tertullianus saepissime scribat: de longinquo de proximo i. e. e longinquo e proximo. Neque raro ita utitur de praepositione, ut motionem ex inferiore in superiorem locum factam significet: apol. 11 (158): „ante illum aliquem principem hominem de terra exuberasse"; ad nat. II, 14 (389): „hunc vos de pyra in coelum sublevastis"; de fuga 12 (483): „ut introiret rex gloriae, dominus virtutum hominem de terris immo ab inferis mercatus in coelos"; de orat. 17: „quomodo ergo oratio Ionae de imo ventre ceti — ad coelum potuit evadere"; de cult. fem. I, 1 (702): „si ipsum quoque aurum iam de terra cum cupiditate prodisset"; de bapt. 1: „itaque illa monstrosissima — optime norat pisciculos necare de aqua auferens"; ad nat. II, 4 (357): „sur-

sum mens ascendere debuit de statu mundi, non in incerta descendere"; de bapt. 20 (640): „cum de illo sanctissimo lavacro novi natalis ascenditis"; de cult. fem. I, 7: „in peronibus uniones emergere de luto cupiunt"; de bapt. 8: „terrae id est carni nostrae, emergenti de lavacro e. q. s."; duo ultima exempla cave cum Livii verbis compares, quae sunt in libri 22 cap. 3: „multis hominibus iumentisque foede amissis cum tandem de paludibus emersisset" nec credendum Weissenbornio viro ceterum de Livio et emendando et explicando meritissimo, qui ad ea verba adscripsit: von den Sümpfen herauf. Hanc enim vim de praepositionem apud Livium ceterosque eius aetatis scriptores prosae orationis omnes habere nego, quare ita potius Livii locus videtur explicandus: cum emersisset e paludibus atque de eis decessisset, cfr.: nachdem er aus den Sümpfen weggekommen war. Summa est sententiae, Hannibalem in siccum pervenisse neque iam in paludibus versari; similiter explicanda 21, 48, 6: „emissus hostis est de manibus" i. e. hostes manus Numidarum effugerunt qui iam eos consecuturi erant; 37, 12, 3: „emissa de manibus res est"; Cic. Verr. 5, 9, 22: Apollonium Verres . . . de carcere emitti iussit i. e. liberari e vinculis, ut non iam carcere teneretur; de orat. 2, 223: „modo existi de balneis" iocose dictum de Bruto, qui balneas vendiderat, possessionem igitur amiserat; de orat. 2, 263: „quando tandem, Galba, de triclinio tuo exibis" i. e. quando in triclinio versari desines; ad Att. 2, 7: cum cogar exire de navi i. e. navem relinquere. Sed Ovidium sane concedendum est iam inusitatius dicere esse ausum Fast. 2, 354: „membraque de dura vix sua tollit humo." Quodsi Heidtmanni vel Handii sententia vera esset, talia exempla etiam apud optimos prosae orationis scriptores reperiri certissimum existimo. Neque vero communem esse

hunc usum scriptorum posterioris aetatis omnium, exemplum docet vel Ammiani Marcellini, qui quamquam si latinitatem spectamus inter deterrimos, immo pessimos scriptores est referendus, ab hoc de praepositionis usu prorsus abstinuit.

Alterum est, quod non raro cum verbis postulandi, expostulandi, expectandi, impetrandi, petendi, efflagitandi, exigendi, requirendi, consequendi, mutuandi, sperandi, sumendi Tertullianus de praepositionem coniungit, cum boni scriptores a praepositione uti soleant, velut de fuga 2 (466): „nec in porcorum gregem diaboli legio habuit potestatem, nisi eam de deo impetrasset." Eodem modo interdum etiam alios posterioris aetatis scriptores locutos esse docet Hand in Turs. II, p. 195.

Deinde animadvertendum, latissime apud Tertullianum eum de praepositionis usum patere, ut originem significet, unde aliquid sit repetendum, vel rem unde aliquid nomen habeat vel causam qua aliquid fiat. Quod quamquam non omnino abhorret a vulgari consuetudine, tamen Tertullianum multo maiorem licentiam dicendi sibi sumpsisse quam ceteros scriptores permultisque locis de scripsisse, quibus ex more Romanorum aliis praepositionibus vel solo ablativo utendum fuit, exemplis infra allatis apparebit. Spect. 10: „quorum (morum) scilicet periculum ingens de lascivia providebant i. e. ingens periculum e lascivia oriturum providebant"; apol. 19 (189): „sunt vestrae Sibyllae nomen de veritate mentitae, quemadmodum et dei vestri"; de spect. 11: „origo istis (agonibus) de ludorum propinquitate est"; apol. 3: „sed et cum perperam Chrestianus pronuntiatur a vobis, de suavitate vel benignitate compositum est, i. e. vocis Chrestiani origo repetenda est a suavitatis voce"; ad nat. I, 3 (310): „Christianum vero nomen, quantum significatio est, de unctione interpretatur. Etiam cum corrupte a vobis Chrestiani pronuntiamur, sic quoque de suavitate vel bonitate modulatum

est"; de spect. 6: „reliqui ludorum de natalibus et solemnibus regum et publicis prosperitatibus et municipalibus festis superstitionis causas originis habent"; apol. 47 (290): „unde haec oro vos philosophis aut poetis tam consimilia? Nonnisi de nostris sacramentis"; apol. 48 (292): „cur non possis rursus esse de nihilo eiusdem ipsius auctoris voluntate qui te voluit esse de nihilo"; de poenit. 1: „poenitentiam hoc genus hominum, quod et ipsi retro fuimus, caeci, sine domini lumine natura tenus norunt passionem animi quandam esse quae veniat de offensa sententiae prioris."

Neque minus saepe Tertullianus ad ablativum qui dicitur instrumenti de praepositionem addit, cuius rei exempla propter multitudinem afferre supersedeo. Atque etiam interdum, cum per homines vel ab hominibus aliquid fit, eadem praepositione Tertullianus utitur: ad martyr. 1: „ut saepe de ipso populo dictata suggesta profuerint"; apol. 23 (212): „aeque producatur aliquis ex his qui de deo pati existimantur", patiendi enim verbum passivi habet significationem; de bapt. 4: „supervenit enim statim spiritus de coelis et aquis superest sanctificans eas de semet ipso."

Ex grammatica latina discimus, si notio substantivi alio substantivo accuratius definiatur et circumscribatur, hoc plerumque fieri genetivo, interdum ablativo. Pro his casibus Tertullianus saepius de praepositionem scripsit: apol. 6 (134): „video et inter matronas atque prostibulas nullum de habitu discrimen relictum"; scorp. 6 (510): „sed quantum livores illi et cruores et vibices negotiantur, intendet coronas scilicet et gloriam et dotem, privilegia publica —, de fama aeternitatem, de memoria resurrectionem"; de patient. 1 (588): „(Philosophi) omnem sapientiae ostentationem de patientia praeferunt", quo loco alter fortasse genetivus causa fuit, quod Tertullianus de prae-

positionem praetulit; similiter de monog. 12 (782): „qui putas exceptionem monogamiae de episcopis factam" et de cult. fem. II, 6 (723): „haec est aeternitas vera de capilli iuventute"; alia exempla haec sunto: de monog. 8 (773): „at ubi ea subiungit, quae de victuaria exhibitione abstinentiam eius ostendunt"; apol. 5 (131): „temptaverat et Domitianus, portio Neronis de crudelitate"; apol. 11 (160): „aliquem de sapientia Socratem, de iustitia Aristiden, de militia Themistoclem, de sublimitate Alexandrum, de felicitate Polycratem, de copia Croesum, de eloquentia Demosthenem"; adiectivorum haec addo exempla: de cult. fem. I, 6 (708): „conchae genus est non dico conchylio aut ostreo, sed nec peloride gratius de sapore" i. e. angenehmer an Geschmack; de pudic. 9 (811): „has duas species de genere fraternas haec quoque signabit parabola"; multoque etiam insolentius dictum hoc ad Nat. II, 15: „sic opinor digni de coelo Castores." Tetigit hunc usum Hand II, p. 202; sed quae exempla ex antiquioris aetatis scriptoribus afferuntur, aut ad genetivum, qui a grammaticis verbo non latino partitivus dicitur, spectant, cuius loco de praepositio scripta est, aut aliter sunt explicanda exceptis verbis Sallustianis, quae sunt Cat. 35, 2: „satisfactionem ex nulla conscientia de culpa proponere decrevi." Haec quamquam dicta sunt contra consuetudinem scriptorum meliorum, tamen habent magnam excusationem, paratam ex conscius adiectivo, de quo vid. Cic. Att. 2, 24, 3: „his de rebus conscium esse Pisonem generum meum."

Postremum transeamus ad singula quaedam afferenda, quae commemoratione imprimis digna esse videantur. De spect. 16: „cognosce dementiam de vanitate" i. e. erkenne ihre Thorheit an ihrem unsinnigen Benehmen; ad Scap. 2 (542): „nec aliunde noscibiles quam de emendatione vitiorum pristinorum"; de orat. 18 (570): „iam enim de

abstinentia osculi agnoscimur ieiunantes"; de monog. 2: „sic de principali regula agnitus"; de virg. vel. 12: „agnosce nuptam de testimoniis et corporis et spiritus"; de spect. 24: „atquin hinc vel maxime intellegunt factum Christianum de repudio spectaculorum"; apol. 39 (265): „si honesta causa est convivii, reliquum ordinem disciplinae de causa aestimate" recte ab Oehlero explicatum: ermesst nach der Veranlassung"; ad nat. I, 4 (312): „cum sit humanius occulta manifestis adiudicare quam manifesta de occulto praeiudicare i. e praeiudicium facere ex eis quae occulta sunt"; apol. 6 (136): „laudatis semper antiquitatem et nove de die vivitis" i. e. de die in diem vel ut ratione dicendi Ciceroniana utar, in dies. Eam esse horum verborum sententiam his locis collatis apparet: ad nat. I, 7 (317): „atquin et idem vocamur et in isdem deputamur et de die redundamus" i. e. in dies nostrorum numerus augetur; ad nat. I, 10: „de legibus quidem iam supra dictum est, quod eas novis de die consultis constitutisque obruistis"; de poenit. 12: „ut proximae urbes aut iam nullae extent aut idem sibi de die sperent"; de carne Christi 4: „describe uterum de die insolescentem"; de anima 30: „Certe quidem ipse orbis in promptu est, cultior de die et instructior pristino." Plene scribitur de poenit. 10: „plerosque tamen hoc opus, ut publicationem sui, aut suffugere aut de die in diem differre"; adv. Marc. V, 11 (310): „nam et interiorem hominem nostrum renovari de die in diem dicens e. q. s."; adv. Iudaeos 9 (726): „me de die in diem quaerunt." Confer praeterea, quae de hac locutione dicat Hand Turs. II, p. 207. Ceterum rarissime alias Tertullianus de praepositione utitur ad tempus significandum; duos tantum locos repperi, quorum alter est ad uxor. II, 4: „maritus de die condicat ad balneas" alterque adv. Marc. 24 (156): „omni moeniorum habitu evanescente de profectu diei."

Praeterea haec notanda videntur: de testim. animae 4 (407): „cum de tuo loqueris“ i. e. de tua sententia; de fuga 9 (478): „de suo sensu admonet“ i. e. ex sua sententia; de ieiun. 10 (867): „ultus est populus de inimicis suis“; de orat. 5: „quonam usque non ulcisceris, domine, sanguinem nostrum de incolis terrae?“ secundum Graeca: ἐκδικεῖς τὸ αἷμα ἡμῶν ἀπὸ τῶν κατοικούντων ἐπὶ τῆς γῆς; de monog. 8 (773): „quae (ecclesia) super illum aedificata omnem gradum ordinis sui de monogamis erat collocatura, quae breviter dicta videntur pro his: omnem gradum ordinis sui ita collocatura erat, ut de monogamis (i. e. ex monogamis) constaret“; cfr. de monog. 11 (778): „quomodo totum ordinem ecclesiae de monogamis disponit“; de pallio 4 (935): „de proelio sonuerat i. e. tuba proelium sonuerat vel ut prosa oratione utar: tuba sonuerat ad proelium indicandum“; de praescript. haeret. 3: „de primis novissimos ostendit“; etiam ea verba brevitate quadam dicta puto pro his: ostendit de primis vel ex primis novissimos fieri.

Unius tantum verbi unius scriptoris peculiarem usum eis quae supra disputata sunt, videtis explicatum: iam vos, cives humanissimi, ad multo maiores copias invitamus fruendas, quas infra propositas reperietis.

Dabam Monasterii Guestph. d. XVI. mensis Febr. a. MDCCCLXIX.

